

/ Illustris, et admodum Reverende Domine. Loco magni beneficii
 accepi orationem tuam in laudem Illustrissimæ et Reverendissimi Ar-
 chiepiscopi Mechliniensis nuper ad me missam. Eam continuo totam
 perlegi non sine magna animi voluptate: placuit dictio, placuit vi-
 5 ta, placuit res gestae; sed prae omnibus placuit quaedam inter
 illum, et me aetatis, et rerum gestarum similitudo. Ille natus est an-
 nono 1542, et ego anno eodem natus sum: ille à puero studiis litera-
 rum, et bonarum artium deditus fuit, et mihi à prima aetate nihil
 dulcius fuit, quam bonis artibus operam dare. Eodem tempore ille con-
 10 cionabatur Mechliniae, et ego Lovanii: et tamen, quod nunc aegerrime
 fero, cum saepissime Mechliniam adierim, tantum virum nunquam vidi,
 numquam allocutus sum. Eodem fere tempore, quo ille ad Archiepisco-
 palem thronum evectus est; ego, quamvis reluctans et invitatus ad car-
 dinalitiam dignitatem evectus paulo post, ad Archiepiscopatum Capua-
 15 num regendum vocatus sum, et synodum provincialem convocavi, quae à
 plurimis annis coacta non fuerat. Unum superest, ut hoc anno, qui mi-
 hi est nonus supra septuagesimum, ad meliorem vitam per Dei miseri-
 cordiam vocer, quod sperare possum, certo scire non possum. Ora com-
 munem Dominum, ut qui me tot in rebus similem esse voluit tanto viro,
 20 quem nunc aeternae et beatissimae vitae participem esse credimus; mi-
 hi quoque gratia ejusdem Domini adsit, ut ad portum salutis sine er-
 rore perveniam. Gratulor tibi, quod praeter laborem concionum, la-
 borem etiam suscipias scribendi; sic enim et praesentibus, et futuris
 hominibus multum prodesse poteris, et mercedem plenam à liberalissi-
 25 mo Domino nostro accipies. Dominum Simonem, qui mihi literas tuas,
 et nunc orationem funebrem reddidit, merito suo diligo, et occasio-
 nem avide expecto, qua possim illi aliqua in re gratificari. His val-
 eat praestantia tua, et me, ut facis amare perge. Romae, die nona De-
 Novembris 1620.